

factus, qui in definitione quadrati & cubi dicitur verbo geometrico comprehensus. Ergo & res & rerum vocabula plani, solidi, quadrati, cubi, laterum, comprehendi, geometrica sunt: atque ut de plano, quadratoque in postremis hisce elementorum libris tolerari possit, quod umbra hæc corpus suum sequatur: quia libris antecedentibus dictum est de formis: de solido & cubo certe ferendum non sit, ut corpus umbram sequatur, postremis enim libris agerur de solido & cubo. Quare figuratos numeros cum figuris suis conjunximus. Numeri proportionales sunt quando primus secundi, & tertius quarti æqualiter fuerit, multiplex aut eadē pars, aut eadem partes 20 d 7. Hæc definitio indicat tautologiam & heterogeniam 7 d 5. Nā proportionalis illic magnitudines definiuntur, hic numeri. At numeros prius oportebat, quia per numeros proportio geometrica (quæ modo hic definitur) magnitudinib. convenit. Sed tamē definitio quinti est accuratior, quod proportionalia definit habētia eandem rationē, quod omnis rationis cōmunis est. Hæc autē definitio definit per quassdam species rationis multiplicem & oppositam, multiplici partem, perque partes. At ratio æqualitatis hic interea prætermittitur, cujus tamen vel in quinto Euclidis ipsius libro antea usus fuit. Quare definitio hæc multo est vitiosior. Similes plani & solidi numeri sunt proportionalia habentes latera 21 d 7. Hic duæ species plani & solidi numeri adhibentur pro genere uno, & similitudo hic aliud est quam proportio. Proportio enim quatuor terminos requirit, similitudo est duorum, rationemque quatuor terminorum includit, quod in figuris geometricis proprium est, & in figuratis numeris. Perfectus numerus est, qui est suis partibus æqualis 22 d 7. Hic unitas est pars numeri. Ideoq; ex Euclidea partis definitione numerus. Imperfectus veró numerus non definitur ab Euclide, neque imperfecti species redundas & diminutus. Campanus autem addidit hic definitiones, postulata, axiomata, quibus imperfectam Euclidis & Theonis mathematicam declaravit. Et certē Theon in suis demonstrationibus, principiis utitur, quæ principia in principiis nulla collocavit, ut postea locis quibusdam declarabo. Et tamen tota materies præceptorum arithmetorum syllogismo non plus egebat quam materies logicorum: & nos arithmetica totam sic docuimus.

LIBRI DECIMISEPTIMI FINIS.

PETRI RAMI SCHOLARUM MATHEMATICARUM
LIB. XVIII. IN PROPOSITIONES SEPTIMI LIBRI.

SEPTIMUS liber habet propositiones unam & quadraginta: è quibus sunt quatuordecim è superioribus iteratæ: tum viginti quatuor de numeris primis & compositis, quarum sex usus sunt imprimis necessarii.